

Ung VI 182

Occasionalia
politisimum Carnavalesco
vol. 22
W-182.

W-182.

72

SINISTRAM VULGI DE MAGISTRIS
OPINIONEM,

C U M

V I R

*NOBILISSIMUS, CLARISSIMUS, pariter
ac DOCTISSIMUS*

GOTTHELF EHRENFRIED LECHLA,

Großpfeßh. Misn.

WITEBERGÆ

d. 30. April. A. R. N. MDCCXVII.

MAGISTER

CREARETUR,

*NO MINE SOCIETATIS ORATORIÆ,
QUE SUB PRÆSIDIO VIRI MAGNIFICI
SUMMEQUE REVERENDI*

D. JOH. SCHMIDII,

P. P. & Confistorialis &c.


FLORET,

PAUCIS EXPOSNERE VOLUIT, DEBUIT

C. M. I.

SS. Th. St.

LIPSIAE, Literis Vidua FLEISCHERIANI.



A. D. A. M.

On est, quod miremur, Amice Lectissime, serius rariusque primis
seculis graduum apices & titulos Magistrorum Doctorumque in-
ter Germanos inventos, si publicam Academiam, unde fontes
istorum bonorum promanant, interjecti inter Caroli Magni aca-
demam, & Caroli Quarti imperium, quadragecentorum & quinqua-
ginta annorum intercapedine, nullam in Germanorum provin-
ciis extitisse cogitamus. Miremur potius ex illis temporum inter-
vallis quemquam nominari posse, qui vel ex Italia, vel Gallia, vel
etiam Anglia, que antiquissimis studiorum universitatibus longissimis temporibus ante
prima Germania Gymnasia haberunt, literarum dignitatem ac ornamentum reuterit,
quandoquidem non minoribus constituisse periculis ac impendis, non minoribus via-
rum & itinerum difficultatibus acquisitionem ejus premii exploratum habeatur, quam
vel aurei Equis cingulum & calcaria, que ex Palestinis regionibus petuntur, aut aurea
ista Colchorum vellera, que laboriosissima & sumptuosissima veterum Gracorum na-
vigatione olim qualita. Jure itaque admiremur Magistrorum omnium primum, quem
ex Germanorum nobilitate annales nostri nominatum expressum habent Philippum,
qui Henrici in Aucupis Imperatoris historia praedicatur, tum nobili genere, tum er-
uditione tum judicio & consilio singulari. Maxime ergo cum memorabile tum hono-
rificum Magistrorum nomini hoc quis exemplum non existinet? Primum fere omnium
Magistrorum, quem ex historiis nostris scimus, in Germania virum & nobilem, &
sumnum summi Principis Consiliarium, & longe fortissimi & laudatissimi consilii, no-
bilissimique ordinis & instituti principem ac auctorem nominari? Ast enim vero cum
plurimi his temporibus literarias dignitates, inflasque & apices honorum, quos in
publicis Academias, & universitatibus virtutis & eruditiois praeemio conferendos, Ro-
mano-

manorum Imperatorum augustissima Majestas divino constituit consilio; tum generis nobilitatem, tum stirpis altitudinem, tum sanguinis antiquitatem, tum majorum morem & institutum minime decere vulgo existimat, quomodo factum, ut inferiorem Magistri dignitatem cum dignitate generis conjunxit supra denominatus Philippus, aliisque plures, quos charta spatium exiguum enarrando percensere non permittit? Procul dubio exin, quia tunc temporis literarum gloriam veluti unicum nobilitatis ornamentum considerarunt, & propter gradum, ut vocant, assumptum majorem nominis existimationem consecuti sunt, quod exinde conjectu est facile, quod honestissimis consiliariorum locis recepti sint, itisque vel praefectura vel curia munus & functio assignata fuerit. Unde haud obscure colligere atque perspicere possimus, plus valuisse horum atque dignitatis, ac Magistros nostros & hodiernos. Sinistram enim de Academicis honoribus ac titulis opinionem non solum inter aulicos & ab artium & literarum studiis alienos; verum etiam inter eos ipsos, qui in mediis Musarum castris versati, atque eruditissimi stipendium amplexi sunt, invalescere hodiernis temporibus, quis est, qui non admidvertit? Non dubito, quin apud plurimos inscitia patronos male fere audiat, ut pace tamen Tua, Amice Lectissime, sic loqui licet, nomen Magistri, siquidem eo procedunt audacie, ut non vereantur diebus solennibus, quibus creantur Magistri, haec verba incepte proferre: *Nosi hodie pinsuntur Magistri.* Licet itaque operae pretium sit, fallissime istorum opinioni principia, rationum firmissimarum monumentis expugnata demoliri, & ex imo fundamento diruta evertere; nolo tamen contra tot bellicos armatosque insurgere, sed licet potius mihi in causas, cur Magistri nomen hodie non tanti, ac primis factum seculis, ducatur, inquire. Si verum est, de quo nullus dubitat, quod illud, quod abundet, fatidiat, nemmo, ut ego quidem opinor, sana qui velit ut ratione, insicias ire poterit, Magistros etiam cam ob rem fere fatidire. Quis est enim, quem præterat, tantam inventari in universum Magistrorum numerum, tantamque multitudinem, ut illi imponus suis impossibili humeris videatur, qui omnes atque singulos enumerare velit. Quare sepius etiam sepiusque non sine summo tædio atque horrore audivi, quod vulgus infanios haec absurdissima evomuerit verba: Edentibus spatum cavendum, ne aut Magistrum, aut Doctorem maculent. Quoniam ergo multitudo innumerabiles existunt Magistri, quid mirum, quod non tanti afficiantur honoribus, ac Magistri primis temporibus. Sicuti enim illa merces, quibus terra abundat, quarumque copia procreator superflua parvo venduntur, leviorique habentur pretio, e contrario vero merces, quibus terra quadam indiget, & qua rarius tardiusque afferuntur, majoris penduntur preti: Haud alter cum Magistris comparatum esse duco; si enim unicus tantummodo intervallo unius anni crearetur, certe mihi persuasum habeo, quod majoribus maestaretur laudibus atque honoribus. Et quid multis? Tritum illud proverbium: *Quod rarum, carum, satis luculentem testatur, cur Magistri hodie non tanti afficiantur, ac olim factum.* Ad hoc accedit etiam, quod multi indigne Academicos acquirant titulos. Quod si enim mediocriter adhuc in disciplinis versatus aliquis, & aut nulla aut humili tantum arte aliqua præditus est, statim sibi expertum summum dignitatis gradum, & quia haud ignarus, quid humeri valeant, quidque ferre recusent, examina rigorosa visitate, itisque interesse detrectat, ratus, quod hoc superiorum sibi permisum, cum tamen omnino in malam rapient partem strenue examinantes. Quo deinde factum, ut inferioris fortis homines a minori concludat ad majus, sibique animo concipiunt, ac si omnes, licet primitias sapientiae vix degustarent, Magistri asequantur dignitatem, ac si etiam apud plurimos pallio velaretur ignorantia, stultitiam annulus ambiret, laurusque sapientiam vindicaret Sophists. Et hic est

est fons atque origo, unde nimis sinistra vulgi de Magistri oritur opinio. Ideo nullo potest infirmari modo, quod Magistrorum quidam ipsi teneantur culpa, quod vulgus male admodum de iis sentiat. Ast enim vero, tantum ab est, ut his omnibus perpetuis atque prolatis Magistros omni honore privare, eorumque laudem verbis extenuare mihi sit animus, ut eos potius qua par est exhortatione amplectar. Nullus enim in quo aliquid sanitatis est ac sapientiae, negare audebit, multos etiam creari Magistros omnium disciplinarum peritusimos, exercitatisimosque in linguis, & haud vulgari praeditos eruditione, qui merito omnibus linguis sum praevidendi, quibusque ne vulgus quidem academicæ dignitatis gradum & invidere & improbare poterit. Mercede enim detracta, quid est, quod tantis nos in laboribus exerceamus. Sed fastis de his. Videamus potius, quid de TE, VIR NOBILISSIME, CLARISSIME, pariter ac DOCTISSIME DOMINE LECHLA, profundendum habebimus. TE sane, quem ex vulgo excepti singularis animi indoles, indefessa in eruditioris indagine solertia, culturaque animi exquisitissima, excepti ex vulgi prajudicata opinione applausus & amplexus Eruditorum. Exornati enim animum Tuum scientias, ut mulieres se ornatu, qua, licet ipse nimiam suam pulchritudinem agnoscant, tamen ea non contenta; pretiosi etiam vestibus exornant, & argento, auro, margaritis undique splendescunt: quoque pulchriores & venustiores sunt, eo solent ambitiore delectari cultu, neque unquam in publicum prodire, nisi prius diligenter consulto speculo, in quo suam intuentes & admirantes imaginem cum quadam animi dulcedine, mollique suavitate, ita capitis ornamenta, capilos, supercilia, faciem, totum denique corpus accurate cunponant, ut, cum domo tandem exeunt, quacunque incidunt, omnium in se oculos atque ora convertant, & non tantum fervidorum juvenum, sed etiam plerisque gelidorum senum pectora jucundo vulnera facient. Idem TE fecisse, quis est nostrum, qui ignoret. Licet enim ipsa natura corpore Te fixerit nobilissimum, ac animo praestitissimum: animitatem Tui præclaram & eximam pulchretudinem intuens, cam unam, omnibus virtutum industriaque ornamenti adhibitis, quotidie magis atque magis illustrasti; neque unquam paefus, ut quicquam ab animo Tuо proficeratur, quod non eximium, excultum, expolitum, elaboratum, & plane aureum esse videatur. Et prius, quam nuper in publicum exiveras, Disputationemque eruditissimam de Apostatis Eruditorum examini censorum subjeceras, in lucido mentis speculo imaginem Tuam, puto profectus Tuos intuens, ita composueras omnia, ut omnes Auditores in admirationem & stuporem traxeris. Quare etiam non summa sine laude eruditioris Tuæ, virtutisque mercedem desideras. Accipe ergo multo sudore & labore meritisimam laurum, ne firps sine frondibus, eruditio nempe Tuæ sit absque premio. Quid restat Membra Collegii Oratorii de acquisito premio TIBI, me interprete, gratulantur, nihilque magis habent in votis, quam ut porro Deus annuat studii Tuis, ut & orbis eruditus & vulgus hanc pluribus laurum infusceturis palmis merito applaudere teneantur. Vale & fave.



May VI 182

V. 17

72

SINISTRAM VULGI DE MAGISTRIS
OPINIONEM,

C U M

V I R

*NOBILISSIMUS, CLARISSIMUS, pariter
ac DOCTISSIMUS*

GOTTHELF RENFRIED ECHLA,

Grospefch. Misn.

ITEBERGÆ
il. A. R. N. MDCCXVII.

MAGISTER
CREARETUR,
SOCIETATIS ORATORIÆ,
RÆSIDIO VIRI MAGNIFICI
MEQUE REVERENDI
OH. SCHMIDII,

P. P. & Consistorialis &c.

FLORET,

EXPOSERET VOLUIT, DEBUIT

C. M. I.

SS. Th. St.

Literis Vidua FLEISCHERIANI.

